

ciuitas ei Romana fingitur. similiter si ex lege Aquilia  
 202 peregrinus damni | iniuriae agat aut cum eo agatur<sup>1</sup>,  
 ficta ciuitate Romana iudicium datur. 38. Praeterea  
 aliquando fingimus aduersarium<sup>2</sup> nostrum kapite deminutum non esse. nam si ex contractu nobis obligatus obligatae sit et kapite deminutus deminatae fuerit<sup>3</sup>, uelut mulier per coemptionem, masculus per adrogationem<sup>4</sup>, desinit iure ciuili debere nobis, nec directo intendi potest sibi dare eum eamue oportere; sed ne in potestate eius sit ius nostrum corrumpere, introducta est<sup>5</sup> contra eum eamue actio utilis rescissa kapitis deminutione, id est, in qua fingitur kapite deminutus deminatae non esse.

39. Partes autem formularum hae sunt: demonstratio, intentio, adiudicatio, condemnatio. 40. Demonstratio est ea pars formulae, quae principio<sup>6</sup> ideo inseritur, ut demonstretur<sup>7</sup> res, de qua agitur, uelut haec pars formulae: QVOD AVLVVS AGERIVS NVMERIO NEGIDIO HOMINEM VENDIDIT, item haec: QVOD AVLVVS AGERIVS APVD NVMERIVM NEGIDIUM HOMINEM DEPOSVIT. 41. Intentio est ea pars formulae, qua actor desiderium suum concludit, uelut haec pars formulae: SI PARET NVMERIVM NEGIDIUM AVLO AGERIO SESTERTIVM X MILIA DARE OPORTERE; item haec: QVIDQVID PARET NVMERIVM NEGIDIUM AVLO AGERIO DARE FA-

1) agat V.      2) adcontrarium V.      3) fuerint V.  
 4) uelut — adrogationem *del. Solazzi.*      5) estao V.      6) principio *Krueger.* praecipue V.      7) demonstraretur V.

§ 38. *cf. supra* 1, 162. 3, 84. *D.* 4, 5, 2, 1 (*Ulp.* 413).

§ 39. *de demonstratione et intentione cf. Schol. Bas.* 11, 1, 7 (*p.* 560. 566 *ed. Heimb.*).

§ 40. *cf. Coll.* 2, 6, 2 (*Paul.* 882).

§ 41. *cf. Cic. pro Rosc. Com.* 4, 11. *Divin.* 17, 56. *in Verr.* 2, 2, 12, 31. 3, 22, 55. 3, 28, 69. *Fest. v. parret p.* 233. *parret p.* 221 (*Bruns II*<sup>7</sup>, 21). *Petron. Satir.* 137. *Theoph.* 4, 6, 6 (*p.* 420 *Ferr.*). *lex Rubr. c.* 20 *Bruns I*<sup>7</sup>, 97). QVIDQVID PARET] *cf. infra* 4, 131.